Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26514
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Reddere personae scit convenienia cuique.
Respice exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula nullius veneris sine pondere et arte
Valdius oblectat populum meliusque moratur
Quam versus inopes rerum nugaque canore.
Grais ingenium. Grais dedit ore rotundo
Musa loqui. praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini si de quincunce remota
Uncia. quid superat. portas direxisse trientem. heus
Tempore si servare tuam. redit uncia. quid fit.
Semis. ad haec animos erugo et cura peculi
Cum semel imbuerit speramus carmina fingi
Posse. linenda cedro et levi servanda cupresso.
Aut prodesse volunt aut delectare poetae.
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies esto brevis. ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris
Ne quodcumque velit poscat sibi fabula credi.
Neu pransae lamiae puerum vivum eripiat alvo
Centuriae seniorum agitant expertia frugis
Celsi praetereunt austera poemata ramnes.
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo
Hic meret aera liber Sosiis. hic et mare transit
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen quibus ignoscere velimus
Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens.
Poscentique gravem persaepe remittit acutum
Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine non ego paucis
Offendar maculis. quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura quid ergo
Et scriptor si peccat idem librarius usque
Quamvis. monitus venia caret. et citharoedus
Ridetur chordam qui semper oberrat eadem.
Sic mihi qui multum cessat fit Cherilus ille
Quem bis terque bonum cum risu miror et ilico
Indignor. quandoque bonus dormitat homerus
Verum opus longo fas est obrepere somnus.